

CONIURATIONIS COMMENTARIUM

[1] Pactianam coniurationem paucis describere instituo, nam id in primis memorabile facinus tempestate mea accidit parumque abfuit quin Florentinam omnem rem publicam penitus everteret. [2] Cum is igitur esset eius urbis status, ut omnes boni a Laurentio et Iuliano fratribus reliquaque Medicum familia starent, Pactiorum una gens ac Salviatorum nonnulli coepere praesentibus rebus clam primo, mox etiam palam adversari: invidebant enim Medicae familiae eiusque summam nostra in re publica auctoritatem et privatum decus, quantum in eis esset, obtrebant.

[3] Erat Pactiorum familia civibus plebique iuxta invisā, nam, praeterquam quod avarissimi essent omnes, neque eorum contumax atque insolens ingenium satis aequo animo tolerari poterat. [4] Eius familiae princeps, Iacobus Pactius, equestris ordinis vir, diem noctemque aleae vacare; sicubi male iactus caderet, deos atque homines diris agere, non nunquam et alveolum tessararium, aut quod aliud irato offerretur, temere in proximum quemque iaculari. Ipse pallidus atque exanguis caput iactare semper et, quod levitatis maximum foret argumentum, nunquam ore, nunquam oculis, nunquam manibus consistere. [5] Duo in homine ingentia vitia eaque, quod mirum esset, maxime inter se contraria eminebant: multa avaritia, multa perdendi patrimonii voluptas. [6] Domum paternam magnifice exstructam a fundamentis diruit, novam de integro exaedificare aggressus est. Saepe ille mercenarias operas conducere neque tamen integrum solvere, pauperculos homines misere sibi vix manuum labore victum quaerentes defraudare et corruptam suillam pro mercede apponere solitus; quare omnibus erat invisus, neque is neque eius maiores gratiosi populo unquam fuerant.